

X. Episcopi et alii Praelati non afficiuntur suspensione et interdicto latis a jure, nisi de ipsis expressa mentio habeatur.

XI. Excusant a censura, saltem in foro interno: — nullitas censurae, — innocentia a peccato, — ignorantia, — impotentia servandi censuram, — metus, — appellatio.

XII. Non obligat in foro interno nec, per se, in externo, censura nulla¹ ex defectu jurisdictionis in ferente, solemnitate substantialis, ut justae causae seu delicti juridice probati.

XIII. Excusatur a censura is qui vel mortaliter actu non peccavit, vel peccatum in actu externo grave non commisit, vel delictum in suo genere non consummavit.

XIV. Excusatur a censura is qui physice vel moraliter impotens est ad praestandum id quod sub censura exigitur².

XV. Excusat a censura metus ille gravis qui communiter a lege humana excusat et sufficienter tollit contumaciam erga Ecclesiam, nisi violatio legis esset in contemptum religionis, aut cederet in damnum societatis³.

XVI. Excusat a censura quaelibet ignorantia facti⁴, juris, et poenae [saltem in confuso acceptae], etiam vincibilis, etiam crassa, etiam affectata, si legislator actuale scientiam legis videatur requirere, e. g. his verbis: si quis scienter... ausu temerario... praesumpserit..., etc.

XVII. Excusat a censura appellatio⁵ praecedens censurae sententiam; subsequens non habet nisi effectum devolutivum.

XVIII. Excusatur in foro externo ab « observatione censurae » vere censuratus, si effectum ejus invincibiliter ignorat, vel si censura absque gravi infamia aut scandalo non potest observari, quod praesertim valet de occulto censurato.

XIX. Stante dubio⁶ de existentia censurae: a) ante actionem, sufficienti peracto examine, non incurritur censura; b) post actionem, in dubio sive juris, sive facti, nullus tenetur in foro conscientiae se habere ut censuratum. — Stante dubio de « cessatione censurae » aut de « potestate superioris », qui eam pacifice possideat, aut de « justitia censurae » stat possessio pro lege et censura, nisi in contrarium manifesta sit evidentia.

XX. Cessat censura: a) « vindicativa » ipso facto post elapsam tempus poenitentiae praefixum; b) proprie « medicinalis », per solam absolutionem, quae justa circumstantia esse potest absoluta, conditionata, ad reincidentiam, ad cautelam.

XXI. Absolutio a censuris dari potest in utroque foro; data in foro externo valet etiam pro interno, non autem viceversa.

XXII. A censuris statuto generali latis et non reservatis absolvit, pro utroque foro, quilibet confessarius habens debitam jurisdictionem; a censuris particularibus « ab homine » vel reservatis, ille solus absolvit qui eas infixit, ejusve superior, successor, delegatus.

XXIII. Virtute capitis *Licet*⁷ Episcopi possunt per se, vel per Vicarium absolvere ab omnibus censuris R. Pontifici reservatis « simpliciter » [ex delicto occulto provenientibus] in sua dioecesi et pro foro conscientiae tantummodo.

¹ S. Alph. VII, 68.

² Suarez, XX, II, 15; Lessius, II, XII, 21; Marc, 1270; S. Alphons., VII, 43.

³ Marc, 1270.

⁴ S. Alphons., VII, 43.

⁵ Benedict. XIV, *Ad militantis*, 30 mart. 1742.

⁶ S. Alph. VII, 67, 68; D'Annibale, I, 311; Suarez, XV, VI, 5; Bucceroni, 32, 33.

⁷ Trid. XXIV, 6; S. Alph., VII, 74, 76, 79, 93; VI, 593; Suarez, *De Poenit.*, XXX, II.

XXIII. Pro absolutione a censuris R. Pontifici reservatis admittitur hodie recursus ad S. Paenitentiarium per epistolam.

XXIV. Impeditis adire S. Pontificem, « in casibus vere urgentioribus in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandalis vel infamiae, super quo confessorum conscientia oneratur, injunctis de jure injungendis, dari potest absolutio a censuris, etiam speciali modo S. Pontifici reservatis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi, saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem¹ ».

XXV. In articulo mortis omnis reservatio cessat; superest tamen pro delinquente, si convaluerit, obligatio se sistendi coram superiore, sub poena reincidentiae pro censuris speciali modo R. Pontifici reservatis². Et de hoc diximus.

XXVI. Si censurae sunt speciali modo S. Pontifici reservatae, ad absolvendum extra casum necessitatis requiritur facultas specialis, quae solet ad tempus aut pro certo casuum numero tribui a S. Sede Ordinariis [per facultates quinquennales vel « pagellas » S. Paenitentiarum], aut, tempore jubilei, omnibus confessariis. — Specialem omnino et expressam requirit facultatem censura « de absolutione complicis³ », quae ideo dicitur specialissimo modo reservata.

XXVII. Quadruplex est genus censurarum latae sententiae hodie vigentium in Ecclesia:

1° censurae formaliter et distinctim enumeratae in Const. Apostolicae Sedis;

2° censurae Tridentinae, idest directe latae vel instauratae a Conc. Tridentino, quas suum roborem servare declaravit Pius IX in praedicta Constitutione;

3° censurae antiquae ad Rom. Pontificis electionem et regimen internum Ordinum vel collegiorum quorumlibet spectantes⁴;

4° censurae recentiores post Const. Apostolicae Sedis editae.

XXVIII. Tres sunt censurae proprie dictae: excommunicatio, suspensio et interdictum.

XXIX. Excommunicatio privat bonis spiritualibus « in quantum sunt fidelibus communia »; — suspensio, in quantum sunt « actus potestatis ecclesiasticae »; interdictum, in quantum sunt « res sacrae ». Interdictum per se res sacras attingit suspensio personas clericorum et excommunicatio fideles prout sunt membra societatis christianae.

XXX. Excommunicatio seu anathema est « censura qua christianus bonis fidelium communibus privatur. Alia erat major seu proprie dicta, alia minor [quae distinctio amplius hodie non viget]⁵ ».

XXXI. Non omnes excommunicati sunt vitandi⁶, sed solummodo: a) notorii percussores clericorum, et b) excommunicati nominatim, et publice denunciati; quae distinctio inter vitandos et non vitandos in solum favorem fidelium fuit inducta.

¹ S. Offic. 30 jun. 1886; 20 febr. 1888.

² Cfr. *Apostolic. Sedis*, § 1.; S. Offic., 16 jan. et 30 mart. 1892; 20 jun. 1882, 17 jun. 1891.

³ Benedict. XIX, *De Sac. Poenitent.* 1 jun. 1741; *Apostolici numeris*, 8 febr.

1745; *S. Offic.*, 20 febr. 1867, 27 jun.

1866, 4 april 1871; *S. Poenitent.*, 28 maj. 1873, 1 mart. 1878, ecc.

⁴ Cfr. *Apostolic. Sed.*, § 8, *Quae vero*,

⁵ S. Offic. 10 dec. 1883.

⁶ S. Alph., VII, 133.

XXXII. Ex parte excommunicati non vitandi, hi sunt effectus censurae:

a) Immediati: A) privat reum quemlibet [clericum et laicum] communione cum fidelibus: 1° in sacris, arcendo reum: a) a susceptione et usu passivo sacramentorum¹, b) a divinis officiis², c) a sepultura ecclesiastica³; 2° in humanis, arcendo reum a) a communicatione forensi⁴, b) a communicatione civili⁵; — B) privat insuper reum clericum communione cum fidelibus, arcendo eum a) a celebratione et administratione [licita] sacramentorum⁶, b) ab exercitio [licito] jurisdictionis ecclesiasticae⁷;

b) Mediati; nam inducit censura: A) pro omnibus, suspicionem de haeresi, si reus per annum contumaciter « insorduerit » in excommunicatione⁸; B) pro clericis, a) irregularitatem, si illicite celebrant vel ministrant sacramenta⁹, b) inhabilitatem ad beneficia et dignitates ecclesiasticas jurisdictionem habentes¹⁰, c) inhabilitatem ad obtinenda rescripta Pontificia¹¹.

XXXIII. Ex parte excommunicati vitandi censura privat: A) omnes, publicis precibus et suffragiis Ecclesiae¹²; B) clericos, non licito tantum, sed valido etiam exercitio jurisdictionis ecclesiasticae, qua penitus carent [v. g. in sacramento Poenitentiae, in delegatione jurisdictionis, in collatione beneficiorum, in prolatione sententiae, etc.].

XXXIV. Ex parte fidelium, hi sunt effectus censurae: prohibentur fideles communicare cum excommunicato vitando in sequentibus:

Os, orare, vale, communitio, mensa negatur.

XXXV. Excusant tamen ab observatione legis praedictae¹³:

Utile, lex [matrimonii], humile, res ignorata, necesse.

XXXVI. Plectuntur: A) excommunicatione R. Pontifici reservata: a) communicantes cum excommunicato nominatim a Papa, in crimine criminoso, ei, scilicet, impendendo auxilium aut favorem; b) clerici scienter et sponte communicantes, « in divinis », cum personis a R. Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsas in officiis recipientes; — B) excommunicatione nemini reservata, mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos¹⁴.

Tum casuum reservationis, tum censurarum prima principia huc redunt. Ne vero plus quam par est sermonem trahamus, earum applicationes pastorales, cum adjuncta ferant, per tractationis cursum indigitabimus.

¹ S. Alphons. VII, 158.

² Id. ibid, 173.

³ Id. ibid, 186.

⁴ Cap. 8. *De Sent. Excom.*, in 6°.

⁵ Bucceroni, 124.

⁶ S. Alph., VII, 265.

⁷ Cap. 24, *De Sent. et de re judic.* X, 11, 27: cap. I *De suppl. neglig. Praeceptor.* X, 11, 22; Lugo, *De justit. et jur.* XXXVII, 6: S. Alphons. VII, 185.

⁸ C. 7, *De haeretic.*, in 6°; Trid. XXV, 3.

⁹ Cap. *De cler. excom. ministr.*, X, V, 27; S. Alph., VII, 171.

¹⁰ C. 7 et 8 *De cleric. exc. ministror.* X, V, 27.

¹¹ Cap. 26, *De Rescript.*, X, 1, 3.

¹² S. Alph., VII, 164.

¹³ Marc., 1296, Bucceroni, 125.

¹⁴ C. *Apostolic. Sedis*, § II, n. 16, 17 § IV, n. 1.

§ IV — De Confessionis Sacramento quoad varias personarum passiones ac physica temperamenta.

SUMMAE RERUM. — 284. Animadversiones praeviae. — 285. De ira eiusque indicia, causae ac cura. — 286. De superbia et ambitione item. — 287. Item de invidia et zelotypia. — 288. De avaritia item. — 289. Item, de luxuria. — 290. Tandem de segnitie ac gula.

284. — Ad maiorem Pastori afferendam utilitatem, quae diximus ad peculiare deducere casus oportet; quae nimirum, cum diversis personarum classibus earumque tum corporis, tum animi peculiaribus condicionibus ab eo in sacramentali confessione praestanda sint, quae tamen et generali suo in regimine prae oculis habere non dicam tantum utile, sed et pernecessarium censeatur. Enim, si, huius adaptatio posthabeatur, quos Pastor sanare intendit, penitus perimeret: enimvero non omnibus omnia, nec vicissim. Genus itaque fidelium sedulo perscrutandum a Pastore est, ut utilia ipsis ferre possit antidota. In primis, igitur, et ante omnia quae in poenitente praedominans passio sit inquirat Pastor, et ad rem generales passionum notas prae oculis habeat, quae huc redeunt.

285. — De ira¹ quae sequuntur habeantur:

a) Indicia sunt: *Cum ira homine potitur, atrociter mentem exulcerat, corpus tremil, lingua se praepedit, facies ignescit, exasperantur oculi, lingua clamorem format, et quid loquatur ignorat*². Peculiariter:

1) In sanguinea indole, ad sanguinis impetus cor primum confluit, deinde ad membra pulsatur cor, spiritus praecipitat motus; vultus et collum et venae tumescunt, eriguntur crines, incenditur oculus, et pupilla sanguine inficitur, nares hiant, dentes strident, vox interceptitur, verba in iniurias et blasphemationes erumpunt, omnis vis tandem in brachia et pedes impetum facit, quoadusque, hoste percusso, irae satisfactum sit.

2) In infirmis iecore aut lympham laborantibus, sanguis ad viscera confluit, cordis motus iam paene sistunt, venarum motus est brevis, frequens, celer; spiritus interceptus, frigidus sudore membra madent, pallescit vultus, convulso membra tremitu quatuntur; iamque nil dicere illi queunt, sed silentium eorum est terribile. In magnanimis mutatur ira in despectum; in vilioribus vero animis odium fit, quod, tandem, in ultione desinit.

¹ Cfr. S. Thom. II^a, II^ae, q. 158.

² S. Greg. Magn., *Moral.*, lib. V; cap. 45, n. 83.

3) In biliosis et sanguineis simul utroque oborta modo ira patet, quam S. Gregorius hisce enarrat: *Nonnullos [sanguineos] iracitius accendit, sed facilius deserit: nonnullos vero [biliosos] tarde quidem commovet, sed diutius tenet*¹.

b) Irae cura perardua est, sed experienda tamen physicis remediis et moralibus mediis.

1. Physica remedia, suavis cibus et herbaceus, lacteus, numquam ignitus potus aut parum vini, ruri manere, balnea frigida aestatis tempore, hyeme tepida.

2. Moralia in occasionum fuga, quae in animo odia fovere possunt, aut suspiciones; irae vero turpitudine eam vitandam suadet, atque offensorem dignum misericordia facit. Senecae dictum memorandum est: *Ultio doloris confessio est... Non est magnus animus quem incurvat iniuria: ingens animus et verus aestimator sui non vindicat iniuriam quia non sentit*². — Multum vero ad emendationem apta invenilis institutio proficit, bonaque exempla vehementer adiuvant. Conferunt vero in rem exercitium laboris constans; vitanda, tamen, est studiorum defatigatio, aut negotiorum nimis grave pondus: cibus vero copiosus iuvat, et corporis quies quam maxime. Insuper ad hoc prosunt:

α) Tempus. — *Quoties iram incendit animus, mentem doma, vince te ipsum, differ tempus furoris, et cum tranquilla mens fuerit, quod placet iudica*³.

β) Separatio. — *Separatio et temporis processus, plerumque, mitigat iram*⁴.

γ) Suavitas. — *Responsio mollis frangit iram*⁵; magna sit, itaque, cum iracundis suavitas, quum ea tantum eorum devinciantur animi.

δ) Patientia. — *In humilitate tua patientiam habe*⁶. Hoc, enim, compendium artis est qua ira sedatur; quapropter nulla sit impatientia, cum id maxime Pastori iubenti atque corripienti dictum sit: *Per patientiam curramus ad probositum certamen*⁷.

286. — De superbia⁸ ac ambitione plura animadvertenda sunt, nimirum:

A) Superbiae causae, institutio, divitiae multae, honores nimii, mens praevalida, exigua scientia, atque [omnium maxima] adulatio

¹ Moral. lib. V, cap. 45, n. 86.

² De ira, lib. III, cap. 5.

³ S. Greg. Magn., *Epist.*, lib. VIII, Indict. III, epist. 41 ad Leontium.

⁴ S. Ioann. Chrysostom. *Homil.* 12.

⁵ Prov. XV, 1.

⁶ Luc. XXI, 19.

⁷ Ad Hebr. XII, 1.

⁸ Cfr. S. Thom. II, IIae, 9, 162.

sunt: quam maxime eas sequuntur sanguinei viri, aut biliosi, potentioresque potiusquam humiles.

a) Eius effectus. — *Cunctis superba apud se existimatione tumulentibus, inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione*¹. Adulatio, igitur, despectus, simulatio, contumacia, invidia aliaque omnia huiusmodi, superbia [vitiorem matrem] passim gignuntur. Prospera autem sorte inflatum sese ostentat superbus; adversa vero sorte depressus, suae cladis poenitens aufugit.

b) Eius curatio institutione primum suscipienda est, idque maxime iteratis fidei documentis, quae humilitatem inculcant, quae una inordinatum sui studium coercere potest. Sed hydrotherapica quoque curatio levesque cibi ad sedandam superbiam pariter conducunt.

B) Ambitionis² vero;

a) causae, aut in corpore, aut in mente consistunt:

I) In corpore sunt quae viros sanguineos, aut biliosos ad eam movent, quaeque senes magisquam iuvenes, viros magisquam feminas exagitant.

II) In animo vero una tantum eius causa insidet, nimirum, superbia.

b) Eius indicia S. Innocentius docet: *Ambitiosus semper est pavidus ne quid dicat, vel faciat quod in oculis hominum valeat displicere. Humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur et obsequitur. Cunctos honorat, universos inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit et amplexatur, applaudit et adulatur. Promptus est et fervidus ubi placere cognovit: remissus est tepidus ubi putaverit displicere. Improbata mala, detestatur iniqua, alia cum aliis probat et improbat ut iudicetur idoneus, ut reputetur acceptus, ut laudetur ab omnibus, ut a singulis approbetur. Et ecce gravem intra se sustinet pugnam difficilemque conflictum, dum iniquitas pulsat animum, et ambitio continet manum, et quod illa suggerit faciendum, haec fieri non permittit. Colludunt tamen ad invicem mater et filia, iniquitas et ambitio: nam mater in aperto consistit, et filia in occulto non resistit: haec, enim, sibi vindicat publicum, illa secretum*³. Alibi vero idem Vir Sanctus: *Ambitiosus libenter agit de principatu quem ambit, et dicit: O quando principabilis ille qui severus sit in iustitia, pius in misericordia! Si forte hac arte non proficit, ambitiosus recurrit ad aliam;*

¹ S. Gregorius Magnus, *Moral.* Lib. XXXIV, Cap. 23.

² Cfr. S. Thom. II, IIae, 9, 131.

³ De Contempt. mundi, Lib. II.

advocat Simonem, accedit ad Giezi. Per hunc ab illo nititur emere quod per se non praevaleret obtinere; supplicat et promittit, offert et tribuit. Proh dolor! gratiam quam gratis adipisci non potuit, per fas et nefas nititur adipisci. Nec desistit adhuc, sed instat et invadit violenter honorem et impudenter arripit dignitatem, amicorum suffragio, praesidio propinquorum. Tantoque dominationis in flammatur ardore, tanta libidine praesidendi, ut nec schisma abhorreat, scandalum non formidet¹.

c) Curatio huius passionis tum physica, tum moralis erit:

I. Moralis cura princeps humilitas, secessus, cogitationes de mundi vanitate, quae magnos animos falso decipit, atque de Maiorum exemplis qui, licet tot honores adepti fuerint, felices tamen non fuere. Oportet vero maxime eos ab urbe avocare ubi ii passim conspiciuntur qui non meritis, sed ambitu et astu ad honores ascenderunt, quorum societas maxime vitanda est. Oportet, contra, ambitiosos parvo in oppido atque inter cives vivere sua sorte contentos, qui sane enarrabunt quo pacto fere nunquam cum felicitate gloria coniungatur; ambitiosi, enim, viri passim sui vitii servi fiunt. — Ab incunabulis autem ambitio emendanda est, expellenda vero per adolescentiam et iuventutem, religiosa praesertim institutione quae una maxime ad id valet. Sero, enim, medicina paratur cum ambitionis habitus nimis in corde invaluerit; quia qui hoc vitio laborant, undique perfectos se contra reputant. Difficile est, profecto, superbos omnino corrigere, at aliquantulum emendari quidem poterunt.

II) Curationes physicae in cibo levi, somno copioso, agreste vita, diuturna deambulatione, ambitioni et superbiae emendandae, continentur.

287. — De invidia² et zelotypia,³ quae sequuntur prae oculis habeantur:

a) Eorum causae aliae sunt disponentes, aliae determinantes:

1. Causae disponentes indole continentur: nam eos qui lymphatico, aut bilioso, aut nervoso habitu corporis sunt, invidiae magis esse servos experientia docet: infirmos vero, pueros, senes, mulieres, deformes et imbecilles maxime ad eam inclinare videmus.

2. Causae determinantes sunt, nimium sui studium, superbia, ambitio, paupertas, communio cum summis et otium.

b) Eorum morales effectus. — *Omnia suis aemulis fingunt, eorum profectu deficiunt, odia inter se abscondunt, et in suos cruciantur,*

¹ S. Innocentius, *loc. cit.* cap. 27.

² Cfr. S. Thom. II, II^{ae}, 9, 36.

³ Cfr. Id. I^a, II^{ae}, 9, 28.

enutriant; profectibus invident, peccantibus favent; de bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, de inimicitiis gratuitis ardent. Deprehendi peccati sui malitiam timent, semper amari nunquam certi, amici diaboli, inimici etiam sui, omnibus odiosi; ad gaudenda anxii, ad plangenda laeti, utrobique perversi. Inter amicos discordias seminant, discordantes ad tempus, si possunt, in dissensione confirmant. Opinionem bonorum mendaciis decolorant; in spiritualibus carnalia laudant ut spiritualia bona eis deesse persuadeant. Amicitias simulant ut eos qui se incaute sibi commiserunt, qua possunt arte, decipiant. Odiorum sibi occasiones, pravis suspicionibus, coacervant... Continentes sunt in verbo, turpes in facto, prodigi secretorum, tenaces malorum, prompti suspicionum malarum, inanes bonarum, pleni sordium, praediti fraudibus. Adversarii corde virtutibus, pravi moribus, et insidiosus cunctis secum in simplicitate viventibus. Haec et his similia, quae omnes invidos bonis, voto sive animo, inimicos ostendunt¹.

c) Physici effectus. — Invidia, passim, videmus homines fieri tristes, tacitos, superciliosos, pallidos; sanguis, enim, ad centrum corporis usque compellitur. Quod si consuetudine id continuo fiat, inflata interna vasa ac pulsationes violentae, anxietatem et, interdum, mortem gignunt. Praeterea bilis copiosior secernitur, digestio perturbatur, vires debilitantur, fit livida et flava cutes, macies crescit; hisce vero tristitia et solitudinis studium augentur, insomnes noctes thrahuntur, atque [horum exaggeratione] interdum amentia et mors.

d) Curatio eius materialis ac moralis est:

I) Materialis sunt dulces cibi, leves et herbacei, lenes potus, varii labores, exercitia corporis apta.

II) Curatio moralis in eo est ut moneantur invidi *ut perpendant quantae caecitatis sint qui alieno profectu deficiunt, aliena exultatione contabescunt. Quantae infelicitatis sint qui melioratione proximi deteriores fiunt: dumque augmenta alienae prosperitatis aspiciunt, apud semetipsos anxie afflicti cordis sui peste moriuntur².* Perarduum tamen est eos corrigere qui, sese tantum arbitrati vitae suae maetam esse, nil nisi seipsos vident. Cum eis, igitur, indirecto modo agendum est, atque suadendum ipsis beatitudinem unam esse eis qui sua sorte contenti vivant. At, plerumque, ad vitium et ad malum [quod aegre iam dereliquerunt] usque redeunt.

¹ S. Prosper, *De Vita contemplativa*, Lib. III, Cap. 7.

² S. Gregor. Magn. *Regula Pastoralis*, Par. III, Cap. 10.

288. — De avaritia¹ quae sequuntur prae oculis habeantur:

a) Eius causae aliae physicae, aliae morales sunt.

I) Physicae causae. — Avaritia ex lymphatico, aut tristi corporis habitu saepe oritur; rara est in iuvenibus, in viris minus rara, seniorum vero propria est maxime, ut voluptas iuvenum, atque ambitio virilis aetatis. Est autem cuiusvis ordini communis, sacerdotum autem [ut vox populi fert] quam maxime.

II) Moralis causa, una est studium nimium vitae, quod adolescit cum aetate, atque metu futurorum annorum fovetur maxime; saepe vero mala institutione et malo exemplo in animis exoritur.

b) Effectus. — *Avaritia est artifex ac dulce malum, et hominibus universis semper infestum. Non habentibus divitias habendi iniicit cupiditatem, habentibus adimit satietatem; ita omnes in una tempestate praecipitat, ut ubinam sit maior ignores. Hanc mediocres fraudibus excolunt, divites potentia, iudices gratia, disertis mercenaria ac duplici lingua. Reges superbia, negotiatores astutia, inani pauperes voto, cultores Dei odio simulato: totae autem gentes universaeque nationes gladio. Nunquam quieta, non die, non nocte, non bello, non pace. Nunquam satur, lucrorum enormitate miserior, novum calamitatis est genus, quod tantummodo crescit, senescere nescit. Non illam parentum pietas frangit, non dulcedo liberorum, non coniugalis affectus, non chara germanitas, non ius amicitiae, non tenerus pupillus, non dura viduitas, non miseranda paupertas, non Dei contemplatio*². Rursus vero idem Sanctus hosce avaritiae fructus enumerat: *Avaritia est libido profunda, cupiditas caeca, tempestas insana, rapacitas sine fine, sollicitudo sine requie, ad sua numquam perveniens vota. Avaritia satiari non novit, fidem frangit, charitatem negligit, iustitiam negat, non cognoscit affectus, iura divina contemnit, humana, versutis argumentis, excludit, orbem totum, si possit, ut rapiat*³.

c) Avarorum mores. — Adspice avarum cum dona accipit quomodo gestit et manus portendit et claudit; adspice, contra, cum aliquid tradit, quam aegre et dolenter id faciat. — Sunt vero Dei societatisque humanae hostes, atque sui ipsius veluti carnifices; neque sommo indulgent aut cibo, sed anxietatibus conficiuntur.

d) Avaritiae remedia perardua sunt, quia, plerumque, in senioribus insidet. Sed quae maxime ad rem valent, sunt praecautiones in ipsa institutione adhibendae, ne deinde iuvenis, adolescente aetate, auri cupiditate occupetur.

¹ Cfr. S. Thom. II^a, II^{ae}, 9118.

³ *Ibid.*

² *De Avaritia*, Tom. 2.

289. — De luxuria¹ nunc pauca:

a) Luxuriae causae habentur physicae et morales:

I) Physicae sunt calida aeris temperies, cibus nimius et ignitus, anni tempus, aetatis flos, nimius sanguinis motus. Qui vitam ducunt parum mobilem et nimis sedentem, huic vitio facilius indulgere solent.

II) Morales causae sunt fidei defectus, exempla mala, otium, mali libri, mala spectacula.

b) Luxuriae physici effectus sunt dorsalis tabes, phthisis, cerebrales morbi, epilepsia, amentia, furor: morales vero sunt mentis cordisque coecitas ac durities in his quae ad homines et Deum spectant.

c) Eius curatio physica esse debet et moralis:

I) Physica curatio in causis physicis detrahendis et amovendis est.

II) Moralis curatio. — Religio libidinosos refrenat atque sensum mortificatio, agrestis et varia vita, labores multiplices, hydrotherapicae curae. Verumtamen, perraro emendatio obtinetur, atque cum publica facta sit tabes, nil restat [plerumque] quam malum membrum abscindere, quod praesertim in Consociationibus locum obtinet.

290. — De Segnitie ac gula sequentia habeantur:

I) Quoad segnitiam: a) Causae. — Puerorum, plerumque, vitium desidia est; corporis habitus lymphaticus et pinguis facilius ei obnoxius, atque interpauperes potius viros afficit, urbanos vero cives magisquam rusticos, mediterraneos incolas potiusquam alpinos. Eam fovent quoque nimia paupertas, morbi ac similia.

b) Indicia sunt crassus vultus, tardi oculi, lentus gradus. In lectulo libentissime piger cubat; *ut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo*² monet Sapiens; dum vero suo vitio ille indulget, tempus omne terit, omniaque late bona pessumdat. Imbecilli, incerti, mediocres, ac taedio pleni desides sunt.

c) Eius curatio. — Aemulationis vis multum ad emendandos desides valet, pariterque cibi validi et qui stimulos addant. Correptio verbalis autem parum eis proficit: maxime vero ipsa in institutione oppugandum vitium est, quia somno plenos perarduum deinde excitare erit.

II) Quoad gulam:³

a) Eius causae. — Habitus corporis sanguineus vel biliosus plurimum ad hoc vitium adeo pertrahit ut quidam physiologi infantia in homine ex ipsa natura illud oboriri autument. Pueri vero et senes ei maxime in-

¹ Cfr. S. Thom. II^a, II^{ae}, 9, 143.

³ Cfr. S. Thom. II^a, II^{ae}, 9, 148.

² *Prov.* XXVI, 14.